VITT EMANUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 R
4

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
3 F
8

18
108 32 *

8 - 1 - a - 1

Digitized by Google

DE

VARIA LECTIONE
ADAGII
ΒΑΜΜΑ ΣΑΡΔΙΝΙΑΚΟΝ
TINCTURA SARDINIACA
DISSERTATIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VARIA LECTIONE ADAGII

ΒΑΜΜΑ ΣΑΡΔΙΝΙΑΚΟΝ

TINCTURA SARDINIACA

DISSERTATIO.

AUCTORE

D. JOANNE PAULO NURRA

CARALITANO J. C.

PATRIÆ ECCLESIÆ CANONICO.

BIBL. TECA NAZ. VITTORIO ... ROMA

FLORENTIÆ, MDCCVIII.

Apud Petrum Matini Archiep. Typogr. *Sup. perm.*

QUì enim poſſum non cupere verum invenire, cum gaudeam, ſi ſimile veri quid invenerim? ſed, ut hoc pulcherrimum eſſe iudicem, vera videre: ſic, pro veris probare falſa, turpiſſimum eſt.

Cicero Academ. Quæſt. lib. 2. ſeu potiùs 4. qui inſcribitur, Lucullus.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

PRÆSTANTISS. CELEBERRIMOQUE VIRO

ANTONIO MAGLIABECHIO

REGIÆ CELSITUDINIS
MAGNI ETRURIÆ DUCIS
A BIBLIOTHECIS

JOANNES PAULUS NURRA.

CUm te, VIR CLARISSIME, paucis ab hinc menſibus, in Florentiſſima patria conveniſſem, atque inter litterarios, familiareſque congreſſus, quibus me perhumaniter dignatus es, in variam le-

ctionem adagij Βάμμα Σαρδονιακὸν *Tinctura Sardiniaca*, quod alij malunt Βάμμα Σαρδιανικὸν *Tinctura Sardianica* incidiſſes, reſpondere diſtuli; ac nonnulla me de hac contentione annotaſſe dicebam, quæ in rem meam fore exiſtimavi, ſcripto potiùs tibi, cui pollet Minerva, examinanda, quàm veloci ſermone percurrenda proponere. Quorum cum te avidum demonſtraſſes, & ſi vereor ne tibi ex ſententia cupita ſuccedant, hæc tamen quantulacumque ſint, tuo æſtimanda iudicio perferri volui, ne deſit fides, ac te diuturna expectatione abſolvam. Eius enim conditionis eſt mea erga te obſervantia, ut velim potius mihi operis imprudentiam, quàm tibi denegati officij contumaciam diſplicere. Ne me, quæſo, negligentiæ, aut oblivionis inſimules, quòd diutiùs rem protraxerim; adverſa quippè valetudo, pluraque longo itinere (cuius conſcius es) intermiſſa negotia, quibus expediendis animum intendere debui, me invitum remorari potuerunt quominus ad te citiùs promiſsa properarent.

Antequam verò quicquam de propoſita diſceptatione decerno, præfari oportet, ex nominum affinitate, cum Sardianicis Sardiniaca ſæpè confundi, atque iccircò vel partium ſtudijs, vel librariorum inſcitia, plurimum Sar-

diniæ

diniæ derogatum fuit circa ea, quæ ad ipſam pertinent, multa verò, quæ Sardianorum ſunt haud jure illi tribui ſolent. Hinc factus eſt locus præſenti controverſiæ, quam rebus potiùs, quàm verbis dirimendam puto; magis, inquam, rationum pondere, quàm librorum auctoritate. Nam ſi hac duntaxat decertandum ſit, quamvis Sardiniaca tinctura, & antiquorum maiori numero, eorumque præſtantia fulciri videatur, vix, imò ne vix quidem, abſque formidine contrariæ lectionis, acquieſcere mens poterit; in uno quippè, eodemque Ariſtophane utraque lectio, tùm Sardiniaca, tùm Sardianica continetur, eiuſdemque Scriptoris auctoritate ſuffulti recentiores in varias abiere ſententias. Ipſius porrò Ariſtophanis, necnon Heſychij teſtimonio Eraſmus Chil. 2. cent. 8. n. 99. edit. Baſileæ 1551. alijque pro Sardiniaca, Salmaſius verò in Notis ad Heſychium, & Spanhemius non minus eruditione, quàm modeſtia commendabilis in libro cedro digniſſimo de Præſtantia, & Uſu Numiſm. diſſert. 4. edit. ſecundæ pag. 283. ſibique conſtans in noviſſima editione Londini diſſert. 6. pag. 312. pro Sardianica tinctura pugnant. Lucas Holſtenius reconditæ Vir doctrinæ in Notis ad Stephanum v. Σάρδις anceps hæret, nam etſi Ariſtophanem ad Sardianicam tinctu-

ram pertrahere totis viribus enitatur, nihil tamen habet, quod opponat Svidæ contrarium aſſerenti. In hoc itaque Auctorum conflictu, & ambiguitate, ut veritas in bono lumine collocari poſſit, ad rationem potiùs, ut nuper dicebam, velut ad Lydium lapidem, quàm ad librorum editiones ſæpè mendoſas, ac interdum perperam emendatas recurri debet.

Hac de cauſa fortaſſe doctus Palmerius, qui præ alijs, quos ego viderim, latiùs de hoc adagio diſſerit in ſuis Exercitationibus in Auctores Græcos pag. 376. ſimplici Ariſtophanis auctoritate, litem componere diffidens, ad alia confugit adminicula pro Sardianica tinctura propugnanda, quæ tamen parum momenti habere videntur, ut nos à contraria lectione avertant. Quandoquidem ea præſertim ratione innititur, quod temporibus Ariſtophanis parum erat commercij inter Athenienſes, & Sardiniæ Inſulæ habitatores, multum verò inter Lydos, & cæteros Aſiaticos cum omnibus Græcis, & præcipuè Athenienſibus. Verùm quia nullum antiquum documentum ad hæc probanda exhibuit, ad puram puram divinationem referri debent. Id planè liquidum, inter primordia Sardoæ gentis Athenienſes enumerari, qui Colonias in Sardiniam deduxerunt, ut patet ex Pauſania tàm in Atticis,

quàm

quàm in Phocicis, & è Stephano de Urbib. v. Ἀγραυλὴ *Agraule*, qui poſteritati mandarunt Urbes ab Athenienſibus in Sardinia conditas. Sunt & alia paſſim obvia vetuſta monumenta, quibus iam olim Græcorum commercia in Sardinia luce meridiana clariora fiunt. Satis fuerit in præſenti reminiſci, primævum *Ichnuſæ* nomen ab illis eam Inſulam accepiſſe, quò reſpexit Silius Italicus lib. 12. dum cecinit:

Inde Ichnuſa prius Graiis memorata colonis.

Huc etiam opportunè referas. Ariſtotelem in Mirandis, Stephanum Byzantinum in Σαρδὼ, Pauſaniam in Phocicis, Agathemerum, & Iſidorum. Mitto alteram Hellenicam *Sandaliotis* appellationem, pariterque Caralim, cuius antiquos nummos Græca inſcriptione ΚΑΡΑΛΙΤΩΝ CARALITANORUM ſignatos vidit Goltzius, memoratque in Theſauro, & in Aſia Minori, itemque Olbiam, Neapolim, Heracleam, Theſpiam, aliaſque Græci nominis in Sardinia Urbes, quæ idipſum confirmant. Minimè verò mihi temperare poſſum quin Palmerio ſuccenſeam, nec enim neceſſe erat uſque ad Ariſtophanis tempora perduraſſe commercia, ut huic Auctori Sardiniaca tinctura innoteſceret, ſatis enim eſt illa præceſſiſſe. Nec longinquitas regionum arguit Virum doctum, qualis erat Græcus Comicus, rerum remotarum ignorantiæ;

tiæ;

tiæ ; cum tibi valde compertum ſit Homerum alterius adagij , *riſus* , nempè , *Sardonij* meminiſſe.

Fruſtrà itidem urget Palmerius locum Plinij lib. 7. cap. 56. ubi purpuræ tingendæ artificium Lydis Sardes habitantibus tribuere videtur. Nam præterquamquod ſuſpectæ fidei teſtem hac de re induxit , ut infra probabo, tantum abeſt , quod hoc obiecto detrahi quicquam poſſit Sardiniacæ tincturæ , ut potiùs maiori robore fulciatur . Tyrrheni ſiquidem, qui (ut optimè calles , iuxtà potioris notæ Scriptores , ducente agmen Herodoto) Lydi ſunt , Colonias in Sardiniam tranſmiſerunt, ut apud Strabonem lib. 5. pag. m. 155. videre licet. Quod etiam demonſtrant antiqua Oppidorum , & Urbium nomina , tùm Etruriæ, tùm Sardiniæ , ubi olim Tyrrheni dominabantur , communia , quæ hìc recenſere non vacat . Nequaquam verò prætermittam *Populonium* Urbem , pro qua mendosè apud Ptolemæum in deſcriptione meridionalis Sardiniæ *Tupulum* obrepſit lib. 3. cap. 3. ubi hæc habet :

Πύπυλον πόλις	*Tupulum Civitas*
Σύλκοι πόλις	*Sulci Civitas*

Errorem detegit , ac emendationi facem adhi-

Digitized by Google

adhibet Antoninus in Itinerario hæc ſcribens:

Metalla *M. P. XXX.*

Sulcos *M. P. XXX.*

Illa ergo Manſio, quæ erat in meridionali Sardinia propè Sulcos, Antonino teſte, à Romanis *Metalla* vocabatur. Et quidem Sardiniam metallis valdè divitem præter Antoninum (cui etiam nota Urbs Ferraria à *ferri fodinis* ita dicta) docuere Solinus, & Rutilius in Itinerario. Ptolemæo itidem, inter adiacentes Sardiniæ Inſulas, memoratur Μολυβώδης *Molybodes*, ideſt *Plumbaria*, ſeù Plumbum ferens. Quintianus Architreus in Cleopoli: *Argento Sardinia, & Attica Melle*. Ad hæc Sidonius Apollinaris carm. 5. inquit:

Sardinia Argentum, Naves Hiſpania deſert.

Quò etiam referendæ ſunt plures Codicis Theodoſiani leges de Metall. lib. x. tit. xix. l. 6. & 9. quas curſim, velut digito ad fontem, indicaſſe ſufficiat. Perperam itaque apud Ptolemæum conſtituitur *Pupulum* propè Sulcim, ſivè Sulcos, nam omninò ibi legendum *Populonium* conſtat: hoc enim nomen lingua Tyrrhenorum (qui olim admodum in re metallica claruere) indigitat *Metalla*, quod iam obſervatum Cl. Bocharto Geogr. Sacr.

part. 2.

part. 2. lib. 1. cap. 33. qua etiam de cauſa Populonio Etruriæ veſtræ id nomen impoſitum. Præclarus huius rei teſtis Ariſtoteles de Mirabil. auſcult. ſcribens: *In Etruria ferunt Inſulam eſſe, quam Æthaliam hodie vocant, in qua ærifodina eſt, unde æs eruitur, omne ſcilicet illud, ex quo iſtic ærea vaſa conflantur, deficere autem, nec reddere quicquam aliquandiu, cæterùm temporum procurſu non æs, ut ante, ſed ferrum provenire, id nempè, quo etiamnum utuntur, Poplonium Incolæ vocant*.

Liquet igitur perindè eſſe *Populonium*, ac *Metalla*, atque adeo facilè conciliari poſſunt invicem Ptolemæus, & Antoninus ſi pro Pupulo Ποπλώνιον *Poplonium*, ſeù *Populonium* ſubſtitues, ac inde itidem comprobarì Tyrrhenorum veſtigia in Sardinia. Hinc emanat, quod ſi Lydis purpuræ tingendæ artificium tribuendum eſſet, commodè ab ipſis edoceri potuerint Sardiniæ incolæ, niſi velimus eoſdem Lydos, ſeù Tyrrhenos hanc artem in eadem Inſu la exercuiſſe, conchylia ſuppeditante Sardoo mari. Undè fortaſſe exorta fama de Lydorum purpura; haud enim veri fides patitur iu ipſamet Lydia tincturam huiuſmodi flo ruiſſe, ut ex dicendis apparebit.

Neque tamen hìc mihi prætereundum, quod Sardinia alios habere potuit tingendæ

pur-

Digitized by Google

purpuræ Auctores, Phœnicas videlicet, de quorum antiquiſſimis in ea commercijs luculentiſſimus teſtis Diodorus Siculus lib. 5. pag. 216. οἱ Φοίνικες διὰ τῆς τοιαύτης ἐμπορίας ἐπὶ πολὺν λαβόντες χρόνον αὔξησιν ἀποικίας πολλὰς ἀπέστειλαν τὰς μὲν εἰς Σικελίαν καὶ τὰς συνεγγὺς ταύτῃ νήσους τὰς δὲ εἰς τὴν Λιβύην καὶ Σαρδόνα, καὶ τὴν Ἰβηρίαν. *Ex hac negotiatione Phœnices per multum temporis opulentiores facti multas miſerunt Colonias, alias quidem in Siciliam, & vicinas Inſulas, alias autem in Lybiam, & Sardiniam, & Iberiam.* Condita verò à Phœnicibus è Tyro profectis Carthagine, Romanæ olim virtutis æmula, cum ad ſummam potentiam ijdem perveniſſent, & ſi diuturno, varioque Marte pro Sardinia occupanda pugnaverint (Juſtino, & Oroſio teſtibus) tandem ſumma rerum in ea potiti fuere, uſque dum à Romanis gentium dominis pulſi ſunt, ut Polybius, Appianus, Strabo, Pauſanias, Livius, Florus, alijque monimentis tradiderunt. At quoniam ea, quæ frequenter occurrunt veterum teſtimonia de murice, atque amictu Sidonio, de oſtro Sarrano, ac purpuris Tyrijs, in quibus Phœnices maximè celebrantur, tibi perſpectiſſima ſunt, & omnium conſenſu adeo comprobata, ut iam, vel hinc detur intelligi, quod purpureus color, & Φοινίκιος *Phœnicius*, ſeù *Puniceus* cum apud

 Græ-

Græcos, tum apud Latinos alternent, non eſt cur in re trita, & pervulgata diutius immoremur.

In primis autem animadverti cupio, quod minimè ad hunc locum pertinent tincturæ illæ, quibus priſca ætas fuco Cretenſi, vel alio id genus inficiebat vellera, neque etiam roſacei, cæterique colores, & ſi eximiè rubentes, qui è florum, vel herbarum ſucco parabantur; nec alij præterea, qui ab Hiſpaniæ cocco, Africæ, vel Galatiæ magnoperè commendantur. Huiuſmodi enim infecturæ (quamvis propter colorum vicinitatem aliquando cum ipſa purpura viciſſim permutentur) haud equidem purpureæ, ſed purpureis ſimiles cenſendæ ſunt. De ijs ergo duntaxat vellerum tincturis hìc habenda ratio, quæ in locis maritimis è conchylio, vel murice confectæ ſummo erant in pretio: multos enim hoc genus purpuram immenſo mercari ſolitos docent Plinij verba inferius recitanda, & *Sacri Muricis* appellatione Cæſareæ leges illam decorarunt. Quod etiam probant ampliſſima eiuſdem purpuræ epitheta, micantis videlicet, ſuperbæ, magnificæ, regalis, triumphalis, & alia frequenter obvia. Idemque Plinius lib. 9. cap. 36. in hunc modum ſcribit: *Sed purpuræ florem hunc tingendis expetitum veſtibus in medijs habent*

fau-

faucibus; liquoris hic eſt minimi in candida vena: Unde pretioſus bibitur nigrantis roſæ colore ſublucens, reliquum corpus ſterile, & paulò poſt: *Huic faſces, ſecureſque Romanæ viam faciunt. Idemque pro maieſtate in pueritia eſt: diſtinguit ab equite Curiam. Dijs advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat, in triumphali miſcetur auro. Quapropter excuſata, & purpuræ ſit inſania.* Unde itidem profecta nedum Imperatoria paludamenta, verum etiam haud modica beneficia, quibus Principum largitate, murilegulis, ac baphijs præpoſiti cohoneſtantur, & ſummo ſtudio in officio continentur, ut in Cod. Theodoſiano tit. de murileg. l. 16. lib. 10. l. privatæ eod. titul. l. ult. C. de veſtib. holover. & apud Euſebium Hiſtor. lib. 7. cap. ult. procul dubio obſervaſti. Hìc etiam opportunè commemorandum venit ius illud *attingendæ, & adorandæ purpuræ*, quod pro magno olim habebatur, ut videre eſt in C. Theod. l. 7. de re milit. l. 4. 8. 9. & 16. de diverſ. offic. l. 3. & 4. *de Domeſticis*, & apud Ammianum Marcellinum lib. 15. & 21.

Quam diſtinctionem purpureæ tincturæ à cæteris non temerè hìc retinendam monui, ex eius quippe deſpectione, haud unum è Viris doctis hallucinari videas, purpureum enim colorem à coccineo longè diverſum invicem

confundunt, ac ſynonyma vocant, apertè reluctante Ulpiano J. C. in l. ſi cui lana D. de legat. III. cuius verba impensè notanda hæc habent: *Purpura autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto: ſed COCCUM non continebitur: BUCCINUM, & Janthinum continebitur*: Quibus itidem ſuffragantur Clemens Alexandrinus, ac Plinius inferiùs producendi. Maior autem huiuſce tincturæ æſtimatio, non ſolùm ex infectorum præſtantia, ſed etiam ex ipſius purpuræ qualitate promanabat, quæ pro littorum varietate maioris, vel minoris pretij cenſebatur, deſumpta etiam inde appellatione, quemadmodum inter alias Theſſalica, de qua Lucretius lib. 2.

—— meliboeaque fulgens
Purpura, Theſſalico Concharum tincta colore.

De Cois Juvenalis Sat. 8.

—— Spartana Chlamys, Conchylia Coa.

Horat. lib. 4. c. 13.

Nec Coæ referant iam tibi purpuræ.

Et de Tænarea Valerius Flaccus lib. 5.

Accipe Tænarei chlamydem de ſanguine aheni.

Phœnices igitur, qui non equidem in cocco, vel alio colore quantumvis eximiè rubente mentiendo, ſed in ipſamet purpura claruerunt, nedùm ob excellentiam artis, verum etiam ob inſignes purpuras inter orientales celeber-

lebertimi habitic. Quò alludit Pauſanias in Laconicis pag. 264. editionis anni 1696. cum ait : *κόχλυς δὲ ἐς βαφὴν πορφύρας παρέχεται τὰ ἐπιθαλάσσια τῆς Λακωνικῆς ἐπιτηδειοτάτας μετάγε τὴν Φοινίκων θάλασσαν*. Id eſt : *Fert autem Laconicum mare conchylia, ex quibus ad infecturam veſtium purpura comparatur, nobilitate ſolis ijs, quæ in Phœnicum mari capiuntur inferiora*. Hùc etiam ſpectant l. ultim. Cod. Theod. de *Murilegulis*: quæ etiam inſerta eſt Juſtinianeo ſub tit. de veſtib. holover. & l. 9. de *luſtrali conlatione*, Leontio Conſulari Phœnices inſcripta. Quocirca conchylium depictum viſitur in veteri Tyriorum nummo in honorem Caracallæ percuſſo, quem exhibet Cl. Vaillant inter numiſmata Coloniarum part. 2. pag. 49. Mitto alios non abſimiles nummos, quos apud celebres Gallorum antiquarios Triſtanum, & Seguinum videas. Conſentit Plinius lib. 21. cap 8. hæc eleganter ſcribens : *Luxuria veſtibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur. Hos animadverto tres eſſe principales: unum in cocco, qui in roſis micat : gratius nihil traditur aſpectu: & in purpuras Tyrias dibaphaſque, ac Laconicas*. Ubi etiam iterum vides coccineum à purpureo differre, ut paulò ante dicebam.

Verùm hæc ſatis de Auctoribus, qui imbuen-

buendæ purpuræ opificium in Sardiniam intulerint; nunc autem, ut veriorem lectionem *tincturæ Sardiniacæ*, quin etiam optimæ notæ purpuras ipſius Inſulæ magis dilucidè vindicemus, rem altiùs repetere oportet, ac prægustanda ſunt aliqua de ijs piſcibus, quibus Sardoum pelagus abundat, inter quos ingenti apud veteres fama clareſcunt Thynni, qui & Pelamides, & *Sardæ* ab eadem Inſula dicti. Neque verò hìc diſſimulare poſſum Iſidori coniecturam; ſcribit enim lib. 12. Orig. Cap. 6. noviſſimæ editionis pag. 108. *Civitas Syriæ, quæ nunc Tyrus dicitur olim Sarra vocabatur à piſce quodam, qui illìc abundat, quem lingua ſua Sar appellant*. Quibus verbis è Servio lib. 4. Georgic. deſumptis addidit, quæ ſequuntur: *Ex quo derivatum eſt huius ſimilitudinis piſciculos Sardas, Sardinaſque vocari*. Huic coniecturæ ne adhæreſcam plura obſtant. Nam præterquamquod Sardæ non quidem inter piſciculos, ut in ſequentibus apparebit, ſed inter magnos piſces ſunt enumerandæ; non video qua ratione Sardæ nomen venari liceat à *Sar*, vel *Sarra*, à quibus ſolum derivari poteſt Sarranum, ut *oſtrum Sarranum* apud Virgilium, & *Sarrana caſtra* apud Silium Italicum, atque id genus alia ſæpè obvia. His etiam accedit, nullibi gentium reperiri piſcem, qui *Sar* appel-

pellatus fuerit, ut rectè animadvertit Cl. Bochart. Geograph. Sacr. part. 2. lib. 2. cap. 10. pag. 815. ubi eruditè demonſtrat, quod ab Hebraico צור *Tſor* Græci Tyrum, Romani verò Sarram deduxerunt. Sarra itque Latinum nomen, non utique piſcem, ſed Tyrum Urbem ſignificans; ut vel inde colligas *Sardæ* nomenclationem non aliundè, niſi à Sardinia deduci.

Errore quoque labitur Gaza, qui hoc piſcium genus ſola ætate à Sardinis differre credit, itaùt minores adhuc dicantur Sardinæ, maiores verò intra eandem ſpeciem Sardæ nominentur; cui utique ſuffragari non poſſum. Sardinæ etenim, quæ & *Sardiniæ* à Columella lib. 8. cap. 17. dictæ (ut mox demonſtrabo à vetuſtate acceptum) inter minutos, Sardæ verò in cenſum magnorum piſcium ſpecie ab illis diverſorum referuntur, atque intra Lacertorum, vel Pelamidum genus continentur, Thynnique paſſim nuncupantur. Auctor enim Plinius lib. 9. cap. 15. Cordylam (non Sardinam) vocari Thynni partum, cum adhuc parvus eſt, qui poſteà Pelamidis, & poſt annum cum iam adolevit Thynni nomine inſignitur. Notiſſimum prætereà Thynnos, ſive Sardas verno tempore gregatim uſque ab Oceano in Mare Mediterraneum irrumpere, atque Sardiniæ littora præternavigare. Hùc ſpe-

ſpectant Plinij verba lib. 32. cap. ultimo: *Sarda, ita vocatur Pelamis longa ex Oceano veniens*. Et ante illum eadem tradidit Xenocrates apud Oribaſium, cui conſentit Galenus infra commemorandi. E' contra verò Sardinæ nomen haud novit exterum mare, ut rectè obſervat Geſnerus de Piſciculis ord. 1. pag. 4. Differunt ergo ſpecie, cum non Sardinas, ſed Sardas Oceano Sardinia Inſula acceptas referat.

Haud mirum itaque Thynnos ab Sardinia appellationem nactos, in primo nanque ingreſſu interni maris per Sardoum curſitant, quod, ex antiquorum mente, non ſolùm ab Oceani oſtio ad Sardiniam, ut docet Eratoſthenes apud Plinium lib. 3. cap. 5. verum etiam uſque ad Siciliam protenditur, ut mox videbimus. Potuerunt itidem nomen ſortiri ab eadem Inſula, ob eorum præſtantiam, & nobilitatem. Nuſquam profectò melioris notæ thynni, ſive recentes appetas, ſive ſale conditos. Sunt etiamnum multa per oram maritimam thynnorum vivaria, quæ poſterior ætas Tunnarias appellavit, ubi ingens copia horum piſcium capitur, ac in varias regiones celebri mercimonio diffunditur, quod iam litteris conſignavit V. C. Martinus Carrillus rerum illius Inſulæ oculatus teſtis, ac de eadem optimè meritus in ſua Relatione Rerum

Sar-

Sardiniæ, prelis Barcinonenſibus Hiſpano ſermone edita pag. 61.

Dictis æquè adſtipulantur priſca teſtimonia de præſtantia thynnorum, & ſalſamentorum Sardiniæ, quorum eruditos illos convivas apud Athenæum lib. 3. pag. 120. cap. xxxiij. meminiſſe videas. Julius Pollux lib. 6. cap. 9. Sardoa ſalſamenta inter excellentiora orbis Romani enumerat. Xenocrates apud Oribaſium editionis Henrici Stephani inter Medicæ Artis Principes cap. 58. pag. 231. hæc habet: *Sarda (ita vocatur Pelamis longa ex Oceano veniens) ori grata eſt, acrimonia Cybio præſtans, appetitum excitans, facilè ad excretiones lubricans*. Locupletiſſimus eiuſdem rei teſtis Galenus de Alimentor. facultat. lib. 3. cap. 31. editionis Pariſien. 1679. pag. 395. apud quem Sardiniæ thynnus, quem ipſe *Sardam* appellat, palmam meretur; nec gravabor doctiſſimi Auctoris verba ſubnectere, quæ ſic Latio ſermone ſonant: *Thynnorum autem caro, qui & ætate, & corporis mole ſunt minores, non perinde dura eſt, eoque hi faciliùs quoque concoquentur: & his adhuc magis Pelamides, quæ ſale conditæ laudatiſſimis ſalſamentis non cedunt: plurimæ hæ ex Ponto advehuntur, ijs duntaxat, quæ ex Sardinia, atque Iberia importantur, inferiores. Hoc nanque ſalſamentum iure in ſummo pretio habetur, tum*

propter voluptatem, tum propter carnis mollitiem, vocatur autem paſſim, uſitato nomine, hoc ſalſamentum, SARDA.

Glandibus porrò ad mare ſatis thynnos pingueſcere docet Polybius apud Athenæum lib. 7. pag. 302. cap. XIV. magiſque ad rem noſtram appoſitè Strabo lib. 3. pag. 100. *Veſcuntur* (thynni) *glande querna, quæ ad mare naſcitur humilis planè, ſed prægrandem generans fructum: Hæc arbor etiam in terra frequens naſcitur per Hiſpaniam magna radice, ut quercus perfecta, ſed humilis ipſa fruticis inſtar à ſtirpe ſurgit, tantum autem fert fructus, ut poſt maturitatem littus maris intra, extraque columnas oppleatur eo alluvie eiecto: ſemper tamen minor invenitur, quæ intra columnas naſcitur. Polybius tradit hanc glandem ab Hiſpanis etiam in Latium uſque mitti, niſi fortè Sardinia etiam eam generet, & vicina loca. Cæterum thynni quantò magis ad columnas accedunt tantò fiunt tenuiores defectu nutrimenti. Ferturque hoc animal prope terram in mari degere, & glande delectari, atque admodum pingueſcere: cumque glandium copia naſcitur, multos etiam naſci thynnos.* Conſtat autem glandibus (de quibus Strabo) Sardiniam affluere, quamvis ipſe paulùm hæſitaſſe videatur, ut vel inde pateat ad eius littora thynnos copioſiùs evocari.

Sed

Sed iam ad purpuras redeundum, à quibus digreſſi ſumus. Nec tamen longè ab inſtituti noſtri ratione id factum putes; thynni enim, qui nobis diverticulum fecere, non ſolùm glandibus, ſed etiam purpuris delectantur; à quibus per oram Sardiniæ maritimam alliciuntur. Quod luculenter evincunt aurea Strabonis verba lib. 5. pag. m. 156. à nemine, quem ipſe viderim, hactenus obſervata, cuius graviſſimi Auctoris ſunt quæ ſequuntur: Ἀκολυθεῖ γὰρ ὁ θυῖνος ἐ τῇ βαλάνῳ μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ ΠΟΡΦΥΡΑ παρὰ γῆν, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ἔξω θαλάττης μέχρι καὶ Σικελίας. Nimirum. *Non enim glandes tantùm ſectatur thynnus, ſed & PURPURAM per terram, ab extero mari uſque ad Siciliam.* Jam verò perluſtratum eſt, totum id ſpatium, quod interiacet ab extero mari uſque ad Siciliam, in ſenſu penitioris antiquitatis, nomen Sardoi maris impleviſſe, ut multis probat laudatus Holſtenius in Operis Geographici Notis ad Ortelium pag. 169. & in alijs ad Stephanum Byzantium voce Σαρδώ. At ne ieiunè prorſus hæc pertranſijſſe videar, addo prætermiſſum ab eo Polybij locum lib. 1. editionis Caſauboni pag. 43. ubi agens de Lilybæo Siciliæ promontorio, inquit: Νέυει δ᾽ εἰς χειμερινὰς δύσεις, διαιρεῖ δὲ τὸ Λιβυκὸν, καὶ τὸ Σαρδῷον πέλαγος, προσαγορεύεται δὲ Λιλύβαιον. *Vergit ad hy-*

C 2 *bernum*

bernum occaſum , ac mare Africum , Sardoumque dividit nomine Lilybæum. En tibi Sardoum pelagus , quod *Sardonium* vocat Herodotus , ad Siciliam uſque productum.

Neque his adverſantur , quæ reponi poſſent de amplitudine Tyrrheni maris, quod ad Hiſpaniam protendunt magni viri Antonius Auguſtinus dialog. 3. Antiq. numm. pag. 86. & dialog. 7. pag. 203. editionis Romanæ , & Laurentius Pignorius Origin. Patav. cap. 1. pag. 12. multis allegatis Auctoribus ; quibus addere poſſem Aeticum Coſmographum , & Latinum Pacatum , qui Tyrrhenum mare vocant totum illud , quod Hiſpaniam alluit ab oriente . Procopius in Vandalicis lib. 1. agens de Inſulis Gaulo , & Melita , ſcribit : Α᾽δριατικὸν ϗ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος διορίζουσι . *Adriaticum , & Tyrrhenum pelagus diſterminant* . Et longè ante illos Dionyſius Perieg. v. 201. Tyrrhenum mare ad Africam extendit , cuius veſtigijs inhærent ipſius Enarrator Euſtathius , Avienus , & Priſcianus . Baleares quoque Inſulas , ſeu Gymneſias in eodem mari conſtituit Stephanus Byzantius voce Γυμνησίαι ſequutus Lycophronem in Alexandra , cuius verſus adduxit, quorum ſententiæ ſubſcribit Tzetzes antiquus Lycophronis Scholiaſtes . Conſonat eiſdem Auctoribus Appianus Alexandrinus lib.

de

de Bellis Hiſpan. *Pyrenæi montes à mari Tyrrheno ad borealem oceanum procurrunt, horum partem, quæ orientem ſpectat incolunt Celtæ, qui nunc Galli appellantur: ad occaſum verò ſunt Iberi, & Celtiberi à Tyrrheno ſimiliter mari per Herculeas columnas circumducti uſque ad ſeptentrionalem oceanum.* Idemque Appianus in Præfatione Romanar. Hiſtor. docuit: *Ab Jonio mari Ægæus ſinus incipit, inde alter Jonius, poſt quem eſt fretum Siculum, & inde Tyrrhenum mare uſque ad columnas Herculeas.* Atque hìc in tranſitu notandus accuratiſſimi alioquin viri Lucæ Holſtenij lapſus; immeritò enim Lycophronem Tzetzem, ac Stephanum, ad quem notavit loco nuper citato, erroris, ac ignorantiæ in rebus Geographicis arguit, quòd Tyrrheni maris amplitudinem uſque ad Hiſpaniam diffundant; cum tot tantiſque alijs teſtimonijs comprobari videas, eadem ferè de Sardoo mari, ac Tyrrheno veteres affirmaſſe. Nec verò iccirco exiſtimandum, contraria invicem loquutos, rectè enim, ut arbitror, in concordiam hoc trahi poſſunt, quòd Tyrrhena Sardinienſibus ſunt affinia, ut è Strabone lib. 5. pag 155. ſuperius delibavi. Nil mirum itaque quod Tyrrhenum, Sardoumque pelagus apud priſcos Auctores alternaverint, dum utrumque mare, ſeù potiùs unum, & idem, varijs nomini

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

minibus appellatum, longè, latèque diffuſum perhibent: undè plures mihi de communi veſtrarium Tyrrhenorum, ac Sardoæ gentis priſca origine blandiuntur conjecturæ, quæ non ſunt huius loci. Illud in præſentia ſtatuiſſe ſatis habeo, quod inter exterum mare, ac Siciliam medium tenet Sardinia, quod vel ex ipſa oculari Geographicarum Tabularum inſpectione, etiam ijs, qui è primo limine hæc ſtudia ſalutaverint, innoteſcit. Atque inde ineluctabile de Sardiniæ purpura à Strabone indicata deſumitur argumentum. Hoc idem ſuboluiſſe videtur Auſonio Epiſt. 3. ad Paulin. ubi Sardoum mare *Oſtriferum pontum* appellat.

Undè itidem lumen accedit Notitiæ Utriuſque Imperij, ubi ſub Comite Sacrarum Largitionum non ſolùm memoratur Procurator baphij Inſularum Balearium, quamvis earum tincturæ minus celebres ſint, vixque alibi notæ; verumetiam Procurator baphij Syracuſani in Sicilia, ſub quo etiam Sardiniam comprehendi exiſtimo; quemadmodum ſub uno, eodemque Rationali Summarum olim conſtitutæ fueruut Sardinia, Sicilia, & Corſica: ob vicinitatem enim harum Inſularum, unus omnibus ſufficere putabatur, ut liquet ex eadem Notitia Imperij, rectèque obſervat doctus Pancirolus in eius Commentarijs lib. 2. cap. 35. & ex pluribus

ribus Codicis Theod. conſtitutionibus l. 2. de ſuſce & arcar. l. 1. C. de pond. & auri inlat. l. 5. C. de petit. ultra dat. Et de Sardinia nominatim fidem facit l. unic. C. *commun. dividund.* Quæ conſtitutio, omiſſo principio Hiſtorico, repetita eſt, & interpolata à Triboniano in Cod. Juſtinianeo lib. 3. *l. poſſeſſionum* ſub tit. 38. *communia utriuſque iudicij*: lataque à Conſtantino Auguſt. & inſcripta Gerulo Rationali trium Provinciarum, Optato, & Paulino Coſſ. nimirum An. Dom. 334. Duplex autem huic legi in vulgato Juſt. Cod. mendum hæret, nam Proculus pro Optato Coſ. & Cærulus pro Gerulo Rationali perperam deſcribuntur. Neutiquam verò ab officio Rationalis alienum erat munus purpuræ Principis curandæ, quod, ut alia mittam, perſpicuè probat vetus inſcriptio inter Gruterianas CCCCLXXIV. 4. ubi *Rationalis Purpurarum* fit mentio.

Multis eandem purpuram encomijs effert Svidas, & ne librariorum imperitiæ tribui poſſet, quod proclivi alias per metatheſim mutatione è Sardianicis facerent Sardiniaca, ut nonnulli ſuſpicantur, opportune occurrit, ac apertè definit, adagium *Tincturæ Sardonicæ* (ita eam vocat) ab Sardinia ortum duxiſſe, agens enim de hac Inſula ſcribit: Σαρδῷ ἐν ᾗ γίνονται πορφύραι διάφοροι, καὶ ὀξύταται. καὶ παροιμία

Βάμμα

Βάμμα Σαρδωνικὸν ἀντὶ τῦ ἐρυθρὸν, Φοινικῦν. Ideſt: *Sardinia, in qua naſcuntur inſignes, & acutiſſimæ purpuræ. Et proverbium Tinctura Sardonica pro rubra, & purpurea.* Latiùs id ipſum perſequitur cum tincturæ Cyzicenæ meminit. Βάμμα κυζικlωὸν τ̃ ἀκάθαρτον ἀσχημοσιώνην αττικοὶ λέγυσι. Ꞓ ἑτέρα παροιμία. Βάμμα Σαρδιανικὸν. ἀντὶ τῦ μή σε ἐρυθρὸν ποιήσω. οἷον. ἵνα μή σε Φοινίξω. νῆσος γάρ ἐςὶ μεγίςη ἡ Σαρδὼ ϖρὸς τῇ Ἰταλίᾳ, ἐν ᾗ γίνονται πορφύραι διάφοροι Ꞓ ὀξύτᾳ). Βύλεται ὅυω δηλοιῶ, ἵνα μή σε πληγὰς ἐντρίψω. Id eſt. *Tinctura Cyzicena. Impuram deformitatem Attici ſic vocant. Et alterum proverbium. Tinctura Sardiniaca. Pro ne te rubrum faciam. Idem eſt, ac ſi dixiſſet, ne te cruore rubrum faciam. Sardinia enim eſt Inſula maxima Italiæ vicina, in qua præſtantes, & acutiſſimæ purpuræ naſcuntur. Vult igitur ſignificare, ne tibi plagas infligam.* Græca huius Auctoris perperam de Sardianica tinctura exponunt editi libri mihi inſpecti, cum longè alia ſit mens Svidæ, quod & Talpæ viderent, ſi poſteriora verba prioribus conferre poſſent: ut inde etiam deprehendas, nullo negotio, ſimile mendum alijs Scriptoribus incubare; quemadmodum penes Iulium Pollucem lib. 5. cap. 4. λίνον Σαρδιανὸν *linum Sardianum* extat, pro *Sardiniano*. Habent etiam Plutarchi codices Σαρδιανὸν γέλωτα *Sardianum riſum*, qui

tamen

tamen ad Lydiæ Sardos nequaquam ſpectat. Apud Varinum Phavorinum itidem *Βάμμα Σαρδιανικὸν* *Tinctura Sardianica* legitur, quamvis vir apprimè eruditus à noſtra ſententia ſtetiſſe videatur; nam primo loco illam exponens, Sardiniæ purpuras valdè commendat, & tincturam ipſius Inſulæ rubram, & purpuream vocat. E regione verò in altera opinione recenſenda, demiſsè de Sardianicis tincturis ſenſit, quæ *πύῤῥα βάμματα rufæ tincturæ* duntaxat, non autem purpureæ nominantur. Quæ omnia exequitur ſub una, eademque *Sardianicæ tincturæ* appellatione. Atque id eſt, quod principio dicebam: ratione potiùs, quàm fluctuante pugnantium, immò repugnantium lectionum auctoritate huic liti finem imponendum. Emendatiorem ſpero noviſſimam Svidæ editionem, quam nondum mihi videre contigit.

Magis caſtigatè hoc in Proverbio Apoſtolius editionis Lugdun. Batav. 1653. pag. 56. hæc è Svida mutuatur. *Βάμμα Σαρδινιακόν: Ἀντὶ τοῦ μή σε ἐρυθρὸν ποίησω. Νῆσος γὰρ ἐστὶ μεγίστη ἡ Σαρδὼ πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ. ἐν ᾗ γίνονται πορφύραι διάφοροι, καὶ ὀξύταται. Βούλεται οὖν δηλοῦν, ἵνα μή σε πληγὰς ἐκτρίψω.* Hoc eſt. *Tinctura Sardiniaca. Pro eo quod eſt, ne te in ruborem dem: maxima enim Inſula Sardinia propè Italiam, in qua diverſæ purpuræ, & quidem exactiſſimæ naſcuntur. Hoc ergo proverbio*

 indi-

indicatur, *ne tibi plagas infligam*. Hæc Apoſtolius, neutiquam immorandus, quod *Sardiniacam* tincturam dixerit, quam *Sardonicam* appellat Svidas. Nam Sardinia Inſula non ſolùm vocatur Σαρδὼ, & Σαρδὼν, undè fiunt Σαρδῷος, Σαρδάνιος, καὶ Σαρδονικὸς *Sardous*, *Sardonius*, & *Sardonicus* Auctore Stephano Byzantio in Σαρδὼ, verumetiam Σαρδωνία, & ſi minùs frequenter, Græcè dicta; ut liquet ex Procopio de Bello Vandal. ac Theodoreto lib. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 12. S. Athanaſius Epiſt. ad Solitarios ait: Καὶ Λουκίφερος ὁ ἀπὸ Μητροπόλεως τῆς ΣΑΡΔΙΝΙΑΣ Ἐπίσκοπος. *Et Lucifer Metropolitanus SARDINIÆ Epiſcopus*. Quibus pariter accenſendi Ariſtophanes, Clemens Alexandrinus, Heſychius, alijque apud quos hæc tinctura non *Sardonica*, ſed *Sardiniaca* nuncupatur. Nam gentile nomen Σαρδονιακὸς *Sardiniacus* non aliunde, niſi à voce Σαρδωνία *Sardinia* derivatur, ſicuti Armeniacus ab Armenia, atque id genus alia. Non audiendus proindè Cluverius in ſua Sardinia antiq. pag. 485. qui binis duntaxat nominibus Σαρδὼ, & Σαρδὼν plaudit, & inani prorſus interpretatione (abſit verbo invidia) locum Diodori Siculi, in cuius Græco textu lib. 15. pag. 471. editionis Hanoviæ 1604. extat vox Σαρδωνία, deformavit: cum aliàs ex antiquiſſimis Romanorum in ea Inſula

com-

commercijs annonæ locupletandæ cauſa, & è priſcis fœderibus, atque pactionibus inter eoſdem Romanos, & Carthaginienſes initis (de quibus multa Polybius) plurimum lucis Diodoro eò loci accedat.

Verùm ut eò gradum revocem undè diſceſſi, pari ratione olim in pretio habita Sardiniana tapeta, de quibus Togatorum ſapientiſſimus Varro in Hercule Socratico apud Nonium Marcellum de Genere Veſtimentor. pag. 539. & 542. Quem locum aliàs vexatiſſimum, omnium primus pro Sardiniæ purpura obſervavit præſtanti vir doctrina Iſaacus Caſaubonus in Animadverſ. ad Athenæum lib. 2. cap. 9. pag. 98. ac integræ lectioni ſic reſtituit: *Cubo in SARDINIANIS tapetibus inter chlamydas, & purpurea amicula.* Apud Nonium verò hæc mendosè proſtant: *Cubo in Sardinianis tapetibus chlamida, ſed purpurea amicula.* Nec plaudere poſſum Ortelio V. C. in Theſauro Geograph. voce *Sardes*, ubi novum vulnus inflixit Varroni, cum pro *Sardinianis*, tapeta *Sardiana* ſubroganda cenſuit; at perperam, & omnium librorum adverſante fide. Scitè Caſaubonus in hoc litterarum genere edecumatus auctor ad tuendam Sardiniæ purpuram Varronem advocavit, cuius ſententiam nedum ex hactenus dictis, verumetiam

& priſtino more accumbentium epulis confir-mo. Siquidem veſtes illas accubitales, ac tri-cliniares, quibus tori in triclinijs ſternebantur, non ſolùm *ſtragula*, & *triclinaria*, ſed etiam *tapeta* dixere, quò reſpexit Ulpianus J. C. in l. 25. D. de aur. & arg. legat. cum ait: *Tapeta veſti cedunt, quæ aut ſterni, aut iniįci ſolent*. Veterum autem luxus uſque eò invaluit, ut etiam in triclinijs purpura ex uſu eſſet; undè dictum Plinij lib. 9. cap. 39. *Qua purpura quis non iam tricliniaria facit?* Et Venuſinus Vates lib. 2. ſerm. ſatyr. 4. non invenuſtè cecinit:

Et Tyrias dare circum illota toralia veſteis.

Quibus locis inter ſe collatis dilucidè compro-batur Sardiniana Varronis tapeta de purpureis intelligenda. Par quoque iudicium, ſi Varro-nem, citato loco, intelligas de torali accuba-tione indulgentium ſomno; mirè nanque illi cohæret Plato Poeta inferiùs recenſendus, cum memorat purpurea Sardiniana ſtragula dor-mituris parata, mutuamque ſibi ferunt opem ſi invicem conferantur.

Eiuſdem purpuræ præſtantiam monumentis commendat magnus Eccleſiæ Pater Clemens Alexandrinus. Enim verò cum in pravos ſuo-rum temporum mores inſurgit, principe loco, Sardiniacæ tincturæ meminit in Pædagogo lib. 2. editionis Coloniæ 1688. pag. 201. ubi

hæc

hæc ſcribit : Τὸν δὲ ἡμέτερον βίον, πάντα μᾶλλον ἢ πομπικὸν εἶναί χρεών, Βέμμα γοῦν Σαρδινιακὸν, καὶ ἄλλο ὀμφάκινον, καὶ χλωρὸν ἕτερον, ῥοδομενὲς, καὶ κοκκοβαφὲς, καὶ ἄλλα μυρία διὰ περιεργίας βάμματα ἐπινενόηται ταῖς ἐξώλοις ἡδυπαθείαις, ὄψεως, οὐ σκέπης ἡ ἐσθὴς αὕτη. Id eſt : *Vita autem noſtra quidvis potiùs, quàm pompa eſt exiſtimanda. Tinctura itaque SARDINIACA, & alia omphacina, ſeu oleagina, & alia viridis, roſacea, & coccinea, & aliæ innumerabiles tincturæ excogitatæ ſunt à pernicioſis delectationibus, quo fit, ut ad viſum conferatur iam veſtis, non ad integumentum.* Undè illud etiam colligas, quod Sardiniacam tincturam, quæ cæteris præſtantior, ac verè purpurea erat, affabrè diſtinguit graviſſimus Cenſor à roſacea, & coccinea, ut ſuperiùs diſſerebam.

Momentum addit huic ſententiæ, ſimulque lumen fœneratur priſca denominatio Sardiniæ, vel alterius Inſulæ parvæ illi adiacentis (cui nomen *Buccina*) Pontiani Papæ, & Martyris exilio clariſſimæ, de qua Anaſtaſius in Pontiano. Quæ nomenclatio multos, & præcipuè Cluverium per avia traxit in ſua Sicilia pag. 417. & in Sardinia antiqua pag. 490. ubi Buccinam Inſulam pro Boaria, vel Bovenna vitiosè irrepſiſſe, perperam ſuſpicatur. Venia hìc mihi erit impetranda, ſi paulò acriùs, quàm mea poſcit humanitas, quicquam exciderit adver-

adversùs aliquos viros cæteroquin doctiſſimos; quibus, neſcio quo ſiniſtro ſydere, res Sardiniæ ſic leviter arrident, ut eas inſtar canum Nili, qui currendo aquas bibere dicuntur, curſim attingant. Haud moror Virum doctum, qui peculiarem tractatum de Purpura elaboravit; in quo de hoc adagio altum ſilet. Mitiùs item agendum puto cum ijs, qui Sardiniaca in Sardianica convertunt, quos nominum convenientia, vel originis excuſabiles fortaſſe reddet. At verò quid ſtatuas, ſi etiam Sabinos in Sardos transformari videas? Illud forſan delicias tibi faciet, quod Vir magni nominis, ac iure laudatiſſimus in Epiſt. adversùs Triſtanum pag. 18. his eum verbis perſtringit: *Si tibi, quæ placent pro arbitrio fingere, atque interpretari fas eſt, antiquis iam Sardis nihil debes, qui olim, quæ volebant ſomniare dicebantur*. Verùm (ut aſperioribus verbis parcam) clarus hìc dormitat Homerus; non enim hæc de Sardis, ſed de priſcis Sabinis iam dicta. Scribit Feſtus: *SABINI, quod volunt ſomniant, vetus proverbium eſſe, & inde manaſſe ait Sinnius Capito, quod quotieſcumque ſacrificium propter viam fieret, hominem Sabinum ad illud adhibere ſolebant: nam his promittebat ſe pro eis ſomniaturum, idemque poſtquam evigilaſſet ſacra facientibus narrabat omne quidquid in quiete vidiſſet, quod quidem eſſet*

ex

ex ſacrificij religione. Unde veniſſe videtur in proverbium Sabinos ſolitos, quod vellent ſomniare. Ex quo palam eſt, quod antiqui Sardi, quæ volebant non ſomniabant, Sabini ſomniabant. Alias huiuſmodi hallucinationes, compendio ſtudens prætereo, & Buccinam, undè diſceſſimus, revertor. Hanc Inſulam Cluverius (cautè in rebus Sardiniæ legendus, nam ſæpè illas minùs accuratè perpendit) cum Boaria, & Bovenna, vulgò *il Toro, e la Vacca*, ut dicebam ſuperiùs, confundit. Nam Boaria, & Bovenna, de quibus mentio in Tabulis Peutingerij, non ſunt Inſulæ, ut ipſe credit, ſed duo immania ſaxa mihi inſpecta, quæ ad auſtrum vergunt, haud procul ab ora maritima Sulcitana prominentia. Quis itaque ſibi ſuadeat Pontianum in hiſce ſcopulis, ac confragoſis rupibus, longo plurium annorum exilio, macerari potuiſſe? Buccina ergo Inſula, in qua diu Pontianus relegatus conſtitit, diverſa penitus eſt à Boaria, & Bovenna. Hæc ſanè diſſimulare non debui, nam præclarus V. Schelſtratius in Eccleſiaſtica præſertim eruditione verſatiſſimus, Cluverio duce, in eoſdem ſcopulos illidit in Notis ad Anaſtaſium in Pontiano, ubi Buccinam ad meridiem coniecit.

In antiqua Notitia portuum, Italico idiomate, manu exarata, & in alia typis Neapoli-

tanis

Digitized by Google

tanis edita pag. 46. inter Inſulas adiacentes Sardiniæ, quà hæc orientem ſpectat, *Buccinarias* lego. Fuerit ergo una ex ipſis *Buccina*, in qua Pontianus exulavit (niſi ipſius Sardiniæ ſit cognomentum, ut coniecit Ciaconius, de quo infra) illa fortaſse, quæ nunc alio nomine, *Thaolada*, aliiſque *Tholara* vocatur; hæc enim Inſula nequaquam minima inter eas, quæ Sardiniæ adiacent, reputanda: fontibus planè irrigua, opportuna venationi, portum habet capacem, quò tutò naves in eo procelloſo mari tempeſtatibus actæ appellunt, ac plurium milliarium ambitu porrecta conſpicitur finem verſus orientalis lateris Sardiniæ, quà hæc ad aquilonem accedit, ſive quà ipſa videre Italiam dicitur, ut loquar cum Silio Italico lib. 12. v. 371.

Quà videt Italiam ſaxoſo torrida dorſo
Exercet ſcopulis latè freta ——

Cui conſonat Claudianus de Bello Gildonico, ubi agens de Sardinia, & appoſitè præfata loca deſcribens, inquit:

—— *quæ reſpicit Arcton*
Immitis, ſcopuloſa, procax, ſubitiſque ſonora
Fluctibus, INSANOS infamat navita montes.

Hoc ultimo verſu obiter tibi obſervatum velim, montes illos (qui aliàs propter naufragiorum pericula malè audiebant) INSANOS vocari

vocari ob eorum *magnitudinem*, non verò *convitio nautico*, ut exponebat eximius ille criticus Caſpar Barthius in Notis ad Claudianum, perinde quaſi inſania, vel dementia montibus exprobrari poſſet. En tibi eminentiſſimus auctor Virgilius Eclog. 9.

Huc ades: INSANI feriant ſine littora fluctus.

Ad quem locum, longè omnium Grammaticorum princeps Servius, editionis Petri Danielis ait: INSANI FLUCTUS; id eſt, MAGNI, ut:

Quid tantum inſano iuvat indulgere labori.

Inſanas item ſubſtructiones pro magnis, & admirandis dixit Plinius lib. 36. cap. 15. & ante illum Cicero pro Milone. Magnæ quoque ventorum vires *inſanæ* appellatæ. Ovid. 12. Metam.

— *Inſanis viribus auſtri.*

Rem acu tetigit L. Florus lib. 2. cap. 6. hæc ſcribens: *Sardiniam Gracchus arripuit. Nihil illi gentium feritas, INSANORUM que (nam ſic vocantur) IMMANITAS montium profuere.* Ubi vides *Inſanos* montes perinde eſſe, ac *immanes*, ſive *magnos*. Non nihil indulgendum Ptolemæo lib. 3. cap. 3. qui utpotè Græcus auctor vim latinæ vocis, aliàs dubiæ, non aſſequutus, *Inſanos montes* vertebat μαινόμενα ὄρη deſumpto participio à Græco verbo μαίνομαι *inſanio, furo*, cum potiùs debuiſſet ex eorum magnitu-

dine adiectivum componere. Sed iam à diverticulo ad viam. Claudianum itaque, ac Silium Italicum in prænarrati ſitus deſcriptione, opportunum conchylijs locum indicaſſe mihi videor; nam purpuræ, iuxta Plinium inferiùs referendum, amant ſaxoſa, & calculoſa loca, & peculiariter de buccino ſcribens lib. 9. cap. 36. inquit: *Buccinum nonniſi petris adhæret, circaque ſcopulos legitur*. Ut proinde mirum non fuerit *Buccinæ* Inſulæ nomen ab excellentia concharum originem habuiſſe. Buccinum enim eſt nobile genus purpuræ, ut probant Ulpiani J.C. verba ſuperiùs relata, quæ impensè notanda conſultò monui. Vocantur autem Buccina Græcè κήρυκες *Ceryces*, idemque ſunt, ac murices, iuxta Plinium, ut rectè obſervatum clariſſ. Harduino tum in Notis ad illum lib. 9. cap. 36. num. 4. ſect. 60. tum in Emendationibus eiuſdem libri n. 95. Archippus de Buccinis apud Athenæum lib. 3. cap. 9. pag. 86. dixit:

κήρυξ θαλάσσης ϑρέμμα, πορφύρας

Buccinum maris alumnus, purpuræ filius.

De Buccino item multa Plinius ibidem, & cap. ſequenti; nec reticenda duxi, quæ ſcribit eodem lib. 9. cap. 38. tom. 2. editionis in uſum Sereniſſimi Delphini pag. 342. ubi priſtinum modum tingendi purpuram narrat: *Buccinum per ſe damnatur, quia fucum remittit. Pelagio ad-*

modum

modum alligatur, nimiæque eius nigritiæ dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quæritur cocci. Ita permixtis viribus alterum altero excitatur, aut adſtringitur: Summa medicaminum in L. libras vellerum, buccini ducenæ, pelagij CX. Ita fit amethyſti color eximius ille. At Tyrius pelagio primùm ſatiatur, immatura, viridique cortina, mox permutatur in buccino. Laus ei ſumma in colore ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens. Unde & Homero purpureus dicitur ſanguis. Quibus verbis etiam deprehendas cur Sardoæ purpuræ fuerint in pretio; ſanguineum quippe colorem à Plinio indicatum eas referre, vel inde probatur, quod adagium *Tinctura Sardiniaca* uſurpari iam ſolitum, pro eo quod eſt, *te rubrum faciam*, ut ſuperiùs dictum eſt, vel *tibi plagas infligam*, quæ ad Plinianum illum concreti ſanguinis colorem proximè accedunt.

Illud itidem obſervari cupio, quod inter binas purpuræ ſpecies, de quibus nuper meminit Plinius, hoc maximè intereſt, quod pelagia frequentiùs genericum purpuræ nomen retinet, ac nigrantem ſuccum generat, buccinum verò rubentem. In Pliniano itaque amethyſti colore pelagium, in Tyrio autem buccinum primas tenuit. Ex quo fit, ſuccum buccini Tyrium aliquando appellari. Hoc ipſum collimavit Virgilius Georg. 3. ſcribens:

 — *quam-*

—— *quamvis Mileſia magno*
Vellera mutentur, Tyrios incocta rubores.

Quæ ad rubentem buccini liquorem procul dubio ſpectant. In idem influunt *Tyrius crocus* apud Claudianum ex emendatione Cl. Heinſij Epigr. 15.

Et Tyrio dignum terga rubere croco.

Qui verſus in editione in uſum Sereniſs. Delphini Epigr. 20. non *croco*, ſed *toro* perperam habet. Et *cruor* Puniceus penes Ovidium 13. Metam. Nec non & *ſanguis* Puniceus apud Statium 1. Achilleid. quæ planè rubentem buccini, vel Tyrium colorem, pervia cunctis ſimilitudine, exſcribunt.

Et eodem lib. 9. cap. 40. pag. 344. ait Plinius: *Pretia medicamento ſunt quidem pro fertilitate littorum viliora: non tamen uſquam pelagij centenas libras quinquagenos nummos excedere, & buccini centenos ſciant qui iſta mercantur immensò.* Buccinum ergo duplo carius, quam pelagium venibat. Rectè itaque à præſtantia purpuræ, ſeu buccini denominari potuit *Buccina* Inſula Anaſtaſio nota; quemadmodum etiam de Cythera à purpuræ nobilitate *Porphyruſſa* olim dicta, teſtatur Ariſtoteles apud Stephanum in Κύθηρα his verbis: ἐκαλεῖτο δὲ πορφυροῦσσα διὰ τὸ κάλλος τὸ παρὰ τῶν πορφυρῶν ὡς Ἀριστοτέλης. *Vocabatur autem Porphyruſſa, quia, teſte Ariſtotele, pulcherrimas purpuras profert.*

fert. Pari ratione Niſyrus Inſula apud Stephanum, & Carpathus apud Euſtathium *Porphyris* dicta.

Maiori robore fulciri hæc poſſunt ex eo, quod modico intervallo diſtat præfata Inſula *Thaolada*, ſive *Buccina* ab his Sardiniæ locis, in quibus adhuc manent Græcorum, & Carthaginienſium veſtigia, ut inde faciliùs ad Græcos huiuſce purpuræ fama pervolaverit, & Phœnicas, ſive Pœnos eiuſdem infecturæ auctores habere potuerit. Nam in ea Sardiniæ regione erat Olbia, cuius portum attigiſſe Honorij claſſem teſtatur, loco citato, Claudianus:

Partem littoreo complectitur Olbia muro.

Hanc Urbem Græcos habuiſſe conditores affirmat Pauſanias in Phocicis, quod itidem ipſummet Olbiæ nomen oſtendit, vox enim Græca ὄλβιος *felix* Latinè vertitur. Valde olim celebris Olbia, cuius meminerunt Cicero, Valerius Maximus, Plinius, Oroſius, Antoninus, Ptolemæus, Stephanus, alij. Nunc funditus everſa eſt, eiuſque ruinas, antiquam *Pauſaniam*, alio nomine Sardi vocant. *Thauſinam* habet Martyrologium Romanum die 15. Maii, ubi Simplicius Epiſcopus, Diocletiani principatu, Martyrio coronatus fuit.

Si res

Si res mei eſſet arbitrij *Fauſtinam* legerem cum Vitali tom. 2. Annal. Sardiniæ, non quòd in honorem Fauſtinæ Auguſtæ id ſibi nomen aſciverit, ut ille conijciebat, nullo antiquo teſte producto, ſed quia perinde eſt latinis *Fauſtina*, ac Græcis *Olbia*, hoc enim nomen *Fauſtum* quid ſonat.

Haud procul ab Olbia in littoralibus Sardiniæ, floruit iam Oppidum, nunc dirutum, quod vocant *Artſechena*; ipſum verò ad Pœnos referendnm eſſe indicat eius nomenclatio ex *Artſe*, & *Chena* compoſita. Nam in Hebraicis Biblijs vox *Artſe* ad terram ſignificandam ſæpè occurrit, & cum affixo in eodem Veteri Fœdere Jon. cap. 1. 8. ארצך *Artſecha* Latinè vertitur *Terra tua*. Vox autem *Chena* procul dubio *Phœnicas*, aut *mercatores* deſignat; in Hebraico enim textu Hoſ. 12. 7. & Ezech. 17. 4. nomen כנען *Chenaan* Latinè *Chanaan* idem, ac *negotiator* per ſynecdochen: Incolæ nanque terræ Chanaan (unde Phœnices, ac Pœni) ob maris viciniam, mercaturæ admodum dediti fuere. Omninò autem perluſtratum eſt Punicam linguam eſſe Hebraicæ dialectum, & affinem, ut probant inſignes viri Aldretus, Bochartus, Seldenus, Reineſius, alijque tibi notiſſimi. Accedit, eo fortiùs vocem *Chena* deſignare Phœnicas, quòd eorum Provincia vocabatur etiam *Chna*, auctore

auctore Stephano: ΧΝΑ΄, οὕτως ἡ Φοινίκη ἐκαλεῖτο. *Chna, ſic Phœnice vocabatur*. *Chna* ergo, & *Chena* nomina ſunt à decurtato *Chanaan*, & Phœnicas indigitant. Hìc autem non poſſum non refragari Cl. Bocharto Geograph. Sacr. par. 1. lib. 4. cap. 34. pag. 341. ubi affirmat, Phœnicas puduiſſe nominis Chananæi, ac deſijſſe ſic appellari propter anathema contortum in patrem ſuum Chanaan. Contrà enim eſt S. Auguſtinus in Expoſit. Epiſt. B. Pauli ad Roman. Verba ſunt: *Unde interrogati ruſtici noſtri quid ſint, Punicè reſpondentes CHANANI, corrupta ſcilicet, ſicut in talibus ſolet, una littera, quid aliud reſpondent, quam Chananæi?* Unde patet, hanc appellationem à ſera Phœnicum poſteritate conſervatam. *Artſechena* itaque Punicum nomen, & Colonia; *Terram Chananæorum*, ſive *Phœnicum* ſignificans, vel *terram negotiatorum*, aut forum nundinarium. Hinc itidem pronum eſt coniectari, eandem manſionem, alio nomine, *Emporium*, vulgò *Ampurias* appellatam fuiſſe, undè *Emporienſis* Sardiniæ Epiſcopatus nomen accepit, qui etiam *Ampurienſis* cum A. minùs rectè in Epiſcopatuum Notitia denominatur; nullum quippe aliud noſcitur huius Urbis Epiſcopalis veſtigium, & ſi nominum ſignificatio perpendatur, Artſechena, & Emporium in idem recidunt. Alia priſca monumenta

numenta tum Græca, tum Punica in eadem regione miſſa facio: eſt enim ad ea, quæ dicebamus, comprobandum ſatis, pauca hæc pro paradigmate deſignaſſe; inde nanque patet, opportunè Græcis innoteſcere potuiſſe Sardoæ purpuræ præſtantiam, undè Græcum adagium *tinctura Sardiniaca* duxit originem, quin etiam huiuſmodi infecturam (ut dicebam) Phœnicas auctores habuiſſe. Ciaconius de Vit. Pontific. in Pontiano, de ipſamet Sardinia affirmat, Buccinariam (potiùs Buccinam) cognomento dictam. Cui ſuffragari videtur Catalogus Pontificum Bibliothecæ Reginæ Sveciæ à Schelſtratio editus tom. 1. Antiquit. Eccleſ. pag. 424. ubi ait, Pontianum relegatum fuiſſe ab Alexandro in *Sardiniam Inſulam Buccinam* Severo, & Quintiano COSS. Quibus verbis ipſi Sardiniæ cognomen *Buccinæ* tribui videtur, reclamantibus licèt alijs, qui Buccinam Inſulam inter Sardiniæ adiacentes enumerant. Ut ut ſe res habeat, ne prolixior evadam nihil hìc de hac diſſenſione definio; illud in præſenti ſtatuiſſe contentus, quod Buccinæ Inſulæ denominatio à buccino ſit petenda.

Vir quidam litteris, alijſque animi dotibus æquè ornatus, quem nominare in ea parte, qua reprehenditur à nobis, urbanè omittimus; ad palinodiam nos provocavit: argumento

quia

quia locus Ulpiani ſupra allegatus in l. ſi cui lana D. de Legat. 3. in Pandectis Florentinis pro *Buccino*, *Fuccinum* habet: ac inde ea, quæ de Buccina Inſula dicebamus ſubverti, & vulgatam *buccini* lectionem tum apud Ulpianum, tum apud Plinium expungendam eſſe cenſebat. Sed fruſtra hoc obiecto conatur ſententiæ noſtræ fundamenta convellere; ſatis enim inter auctores convenit, eam lectionem mendosè Florentinis Pandectis irrepſiſſe, ut ex Alciato lib. 1. Prætermiſſ. Dionyſio Gothofredo, alijſque patet, qui eam legem notis illuſtrarunt.

Ut autem dilucidiùs id comprobetur, & ab eiſdem Pandectis macula diluatur, haud iniucundum tibi fore puto, ſi demonſtrem eam lectionem ab Ulpiani mente longè abeſſe: te verò quæſo, ne moleſtè feras integrum illius textum denuo mihi iterandum, qui hæc habet: *Purpuræ autem appellatione omnis generis purpuram contineri puto: ſed COCCUM non continebitur: BUCCINUM, & JANTHINUM continebitur*. Tuum erit in primis æſtimare, utrum vox *Fuccinum*, pro herba ſignificanda, Romæ nata ſit, an Civitate unquam donata: mihi enim apud aliquem è priſcis Latinis, quos viderim, nondum obvia. Fucus certè, qui Græcè Φῦκος dicitur, herba eſt, quæ rubrum colorem facit, ſed abiectæ conditionis, ac veluti adulterinum,

unde ortum duxit tritum proverbium, *fucum facere*, pro eo quod eſt imponere, & artificioſa diſſimulatione deludere. Quintilianus lib. 12. cap. 10. de genere dicendi, agens de dictione, quæ quod mediocris eſt per ſe habet admirationem, ſed admotis ijs, quæ ſunt eximia deſinit eſſe admirationi, ſcribit: *habet admirationem, neque immeritò, nam ne illud quidem facile eſt, ſed evaneſcunt hæc, atque moriuntur comparatione meliorum: ut lana tincta fuco citra purpuras placet: at ſi contuleris etiam lacernæ conſpectu melioris obruitur, ut Ovidius ait*. Lana itaque fuco illita, omnino differt à purpura. Quì ergo fieri poteſt Ulpianum purpuræ appellatione fucum, ignobilem, ac parvi pretij herbam (ſive *fucinum* barbarè loquendo) comprehendere voluiſſe? Cum aliàs etiam coccum (vulgo *grana*, & *cocciniglia* dictum) quo nobilis color ille coccineus, idemque venuſtiſſimus parari ſolet, à purpuræ nomine procul abeſſe ſtatuat.

Mens itaque Ulpiani eſt, purpuræ vocabulo eas duntaxat infecturas ſignificari, quæ è marinis piſcibus, ſive ex muricum, concharum, ſeu conchyliorum ſanguine olim conficiebantur. Horum diverſa genera, vel ex locorum varietate, & qualitate, vel ex eorum magnitudine, ac forma, vel ex ipſis coloribus petebant veteres.

Digitized by Google

teres. Ariſtoteles Hiſtor. Animal. cap. 15. lib. 5. optimè omnium docet, verſus ſeptentrionem nigrantes, verſus auſtrum verò, magna ex parte, rubentes purpuras procreari. Sunt in laude etiam aliæ violacei coloris, de quibus Nepos Cornelius apud Plinium lib. 9. cap. 39. *Me*, inquit, *iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denarijs centum venibat*. Et Vitruvius lib. 7. cap. 13. hæc de conchylio ſcribit: *Quod autem legitur ad æquinoctialem orientem, & occidentem invenitur violaceo colore*. Violaceum porrò conchylium, deſumpta è Græco appellatione *Janthinum* dixere. Hinc lux Ulpiano, qui purpuræ nomine inter varia illarum genera, non ſolùm *Buccinum*, verumetiam *Janthinum* contineri rectè monet. Et Martialis unico verſu tam buccina, quàm ianthina purpurea indumenta complectens lib. 2. epigr. 39. ſcribit:

Buccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.

At de buccino ſatis dictum ſuperiùs. Illud autem hìc mihi non eſt diſſimulandum, quod Clariſſ. Spanhemius de Præſtant., & Uſu numiſmat. diſſert. 8. editionis Londin. pag. 455. hunc Ulpiani locum ea, qua ſolet felicitate haud interpretari videtur; nam per *omnis generis purpuram* ab Ulpiano indicatam, quodcunque aliud vulgare illius genus, immò veram,

&non veram purpuram contineri propè aſſerit. Cuius ſententiæ accedere non poſſum, cum ex prælibatis clarè pateat Ulpianum, dictis verbis, veras duntaxat, & marinas purpuras deſignaſſe. Fuccinum verò quod attinet, ut tandem illo me expediam, nec eodem die cum buccino, vel purpura nominandum. Abſit ergo à docto viro quicquam tentare in probatiſſima, & conſtanter recepta *buccini* lectione tum apud Ulpianum, tum apud Plinium: ne caliginem bonis auctoribus offundat, dum cupit illuſtrare. Nihil denique eiuſmodi argumentum habet, quod quicquam eorum, quæ de Buccina Inſula dicebamus, recantare compellat.

Dictis pariter adeſſe videtur Lycophron in Alexandra verſ. 796.

Κέντρῳ δυσαλθὴς ἔλλοπος Σαρδωνικῆς

Inſanabilis aculeo piſcis Sardonici.

Loquitur hìc Lycophron de Ulyſſe, quem Telegonus eius filius haſta, vel lancea interemiſſe fertur. Haſtæ verò cuſpidi aculeum piſcis Sardonici præfixiſſe perhibetur; quamvis Lucianus Ulyſſem podagra mortuum tradiderit. Sardonicum piſcem Tzetzes, alijque docti viri, qui ad Lycophronem notarunt Meurſius, & Canterus Paſtinacam marinam arbitrantur, quæ Græcis Τρυγών, latinè etiam Turtur, & Trigonus piſcis appellatur. Huic interpreta-

tioni

tioni ne acquieſcam, illud in cauſa eſt, quòd Paſtinacam marinam nemo ex antiquis, vel nuperis, qui de piſcibus ſcripſerunt, Sardonicum appellavit, & cuilibet mari communem exhibent Geſnerus, alijque, qui hanc Spartam illuſtrarunt. Quod ſecus eſt in purpuris, quæ non ubique capiuntur, & pro littorum diverſitate magis, vel minus clareſcunt. Hinc Horatius lib. 2. ſerm. ſatyr. 4. ſcribit:

Sed non omne mare eſt generoſæ fertile teſtæ:
Murice Baiano melior Lucrina peloris.

Quapropter non video cur Paſtinaca *Sardonicus piſcis* ſit vocanda. Crediderim potiùs Lycophronem exponendum de purpura Sardiniaca, nam huic ſuſpicioni favent Auctores omnes, qui præfati adagij meminerunt, quibus purpuram eſſe Sardonicum piſcem valde celebrem, & varias illius Inſulæ littora ferre purpuras, eſt in confeſſo. Purpuram porrò aculeatum eſſe piſcem docet Ariſtoteles lib. 5. Hiſtor. Animal. cap. 15. pag. 519. & lib. 2. de Part. Animal. cap. 17. pag. 611. Plinius lib. 9. cap. 36. pag. 339. tom. 2. ſcribit: *Lingua purpuræ longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua conchylia: tanta duritia aculeo eſt*. Et eodem lib. 9. cap. 37. pag. 341. accuratè deſcribens capiendæ purpuræ modum, inquit: *Capiuntur autem purpuræ parvulis, rariſque textu veluti naſſis in alto iactis*.

iactis. Ineſt ijs eſca, cluſiles, mordaceſque conchæ, ceu mitulos videmus: has ſemineces, ſed redditas mari avido hiatu reviviſcentes appetunt purpuræ, porrectiſque linguis infeſtant: at illæ aculeo extimulatæ claudunt ſeſe, comprimuntque mordentia: ita pendentes aviditate ſua purpuræ tolluntur. Cum igitur tanta ſit vis in aculeo purpuræ, ut conchyliatos piſces perforare valeat, nil prohibet Ulyſſem à Telegono interfectum aculeo purpuræ haſtæ præfixo, atque adeo ſub nomine piſcis Sardonici conchylium deliteſcere, & in hoc ſenſu loquutum Lycophronem puto. At ſi hac interpretatione poſthabita in aliam conceſſeris, per me licet.

Non parum quoque momenti noſtræ lectioni aſſerendæ afferre videntur Codicis Theodoſiaui leges lib. 10. tit. 20. *de Murilegulis*, quæ neutiquam referri poſſunt ad Lydos, ſive orientales conchylegulos, cum dilucidè pateat illas ad occidentis murilegulos, ac proinde ad Sardiniam ſpectare. Unam ex ijs conſtitutionibus proferam, quæ eſt 12. repetita in Cod. Juſtin. l. 9. eod. tit. qua Valentinianus Auguſtus cavet de navi murilegulæ functioni obnoxia non uſurpanda. Eius verba ſunt: *Si quis naviculam functioni muricis, & legendis conchylijs deputatam auſus fuerit uſurpare, duarum librarum auri inlatione teneatur.* Scitè autem animadvertit opulentiſſi-

lentiſſimæ vir eruditionis Jacobus Gothofredus in Commentario eiuſdem legis, eam procul dubio ad Sardiniam ſpectare, cuius verba non pigebit exſcribere: *Porrò cum hæc lex Valentiniani Jun. ſit, & ad PP. Italiæ data ſit, procul dubio ad Sardiniam ea pertinet, de cuius purpura, & conchylio multa Svidas: nominatim in* Βάμμα Σαρδιανικὸν. Hæc V. celeberrimus, quem à ſententia noſtra removere non valuit vox Σαρδιανικὸν, quæ proſtat apud Svidam pro Σαρδινιακὸν, nec tempus conſumpſit in illius emendatione, quæ alijs viris doctiſſimis tantum negotij faceſſit; ſatis ſibi conſcius, dubium ſcriptorum ſenſum ratione magis, quàm ex verbis; quibus facilè mendum ineſſe poteſt, deprehendi debere. Et quidem à ſcopo non aberravit Gothofredus; eius enim aſſertio, vel ex hoc confirmatur, quòd prædicta conſtitutio inſcripta fuit Principio Pr. Pr. Italiæ, & data Aquileiæ VI. Kal. Octobris Arcadio Aug. I. & Bautone COSS. quorum Conſulatus incidit in annum Æræ Chriſti Domini 385. Jam verò exploratum omnino eſt, Sardiniam id temporis ſub eodem Principio conſtitutam fuiſſe; in diviſione nanque Provinciarum, aliquot ante annis, facta à Conſtantino M. eadem Inſula Præfectis Pr. Italiæ gubernanda committitur, auctore Zoſimo lib. 2. pag. 109. edit. 1679. Certè appellationes

Digitized by Google

ex Sardinia iam ab anno Dom. 357. non ad Præfectum Urbis, ſed ad Præfectum Prætorio Italiæ interponebantur, ut liquet ex conſtitutione ad Taurum Pr. Pr. Italiæ à Conſtantio Imperat. ſcripta, & videre eſt in l. 27. Cod. *de Appellat.* quæ lex nominatim de Sardinia loquitur, & à Cod. Juſtinianeo abeſt, non ſolùm uti localis, & Hiſtorica, verumetiam quia Juſtinianus Aug. Sardiniam à Vandalis ereptam ſub iuriſdictione Præfecti Pr. Africæ gubernandam conſtituit, ut docet ipſe Imperator lib. 1. C. tit. 27. *de Off. Praf. Prat. Africa*, eandemque regiminis formam, ineunte iam nono ſæculo, viguiſſe, ex Notitia Leonis Sapientis dilucidè comprobatur. Aliam legem habes in Theod. Cod. à Juliano, ſive potiùs Joviano Aug. latam, quæ eſt l. 16. Cod. de *Curſu public. angar. & perangar.* Topica illa eſt, & de integro ad Sardiniam ſpectans; ipſa enim lege, curſus publici ratio per eam Inſulam diſponitur, & Mamertino Pr. Pr. Italiæ inſcripta fuit An. Dom. 363. Huc etiam opportunè referenda eſt ſuperiùs citata l. 6. *de Metallis*, quæ pariter abeſt à Cod. Juſtinianeo. Qua ſanctione vetitum fuit, ne aurilegulos ex alijs Provincijs navium gubernatores, vel magiſtri in Sardiniam tranſferrent. Eam Imppp. Valentinianus, Valens, & Gratianus ad Probum Pr. Pr. Italiæ ſcripſere A. D. 369.
rectè-

recteque obſervat vir ſummus, omnique commendatione maior Cardin. Baronius ad hunc annum num. 37. non ſolùm Probo Pr. Pr. hac ætate, verumetiam inde uſque à Conſtantini M. ævo Præfectis Pr. Italiæ Sardiniam obtemperaſſe. Altiùs tamen Jacobus Gothofredus petendum monet exemplum deſignatæ à Conſtantino iuriſdictionis Præfecturæ Prætorianæ Italiæ, videlicet ab Anno Domini 293. conſtitutis iam inde ab Imperio trium Tetrarcharum ordine ſibi ſuccedentium Maximiani, Severi, & Maxentij finibus, & Diœceſibus à Conſtantino deinceps in quatuor Præfecturas diſtributis. Non te præterit, ſic illum notaſſe in Commentario ad l. 9. Cod. *de Extraordinarijs, ſive ſordid. munerib.* Quæ lex valde iam celebris evaſit in argumento *Suburbicariarum Regionum*, quod inſignes doctrina Viros exercuit. Ex quibus erit forſan cur dubites, an Sardinia *Suburbicariarum* numero ſit adſcribenda: nam Schelſtratius, non ſatis hìc temporum ratione habita, conſtanter affirmat; negat verò vir doctiſſimus, ac temporum, propè dicam, reparator Noriſius. Verùm diligentiùs examinanda ſunt harum opinionum pondera, nec quicquam temerè, aut feſtinanter hac in re proferendum. Sat mihi erit in præſenti, ſi ex allegatis, murilegulos Sardiniæ in Valentiniani Aug. citata

G lege

lege ad Principium Pr. Pr. ſcripta contineri, vel evincam, vel ſuadeam.

Quid ſi demonſtrem ea, quæ de Sardianica, ſive Lydorum purpura veteres decantarunt, eſſe pura pura commenta? Ut dictis fidem adſtruas, fac in mentem veniat illud Plinij lib. 9. cap. 37. ubi ait: *Purpuræ calculoſæ appellantur à calculo maris mirè apto conchylijs*. Hæc autem minimè convenire poſſunt Lydis; cum ex Hiſtoricorum, & Geographorum teſtimonijs nimirum conſtet, Lydiam eſſe Provinciam mediterraneam. Appianus Alexandrinus in Præfatione Roman. Hiſtor. inquit: ἐν δὲ μεσογαίῳ Πισίδαι τε καὶ ΛΥΔΟΙ. *Mediterranea verò tenent Piſidæ, & LYDI.* Idem patet è Scymni Chij Fragmentis à Cl. Ryckio editis ad calcem Stephani de Urb. pag. 383. Strabo lib. 2. pag. 89. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ τήν τε Φρυγίαν ἧς ἐστι μέρος ἥτε τῶν Γαλλογραικῶν, λεγομένη Γαλατία, καὶ ἡ Επίκτετος, καὶ Λυκάονες, καὶ ΛΥΔΟΙ. Id eſt: *In mediterraneis autem Phrygiam, cuius pars eſt Gallogræcorum, quam appellant Galatiam, & Epictetos, & Lycaones, & LYDOS*. Quì ergo fieri poteſt ſimile veri, Lydos purpuræ tinctura claruiſſe? Quis unquam novit Lydorum mare? Unde ergo ipſis conchylia? Unde murileguli? Quid ad hæc reſpondere poſſent priſci fabulatores, qui ficto Lydorum purpuræ indumento bonos Au-

ctores

ctores deformarunt, vel qui in poſterum eos ſectari velint, planè non video; niſi novo abſurdi genere confingant Lydos in Mæandro, Hermo, Pactolo, vel alio flumine Lydiæ purpuras piſcari ſolitos, aut potiùs, agendo nugas, obtrudant nobis illa Ovidij lib. 14. Metam.

—— vidi factas ex æquore terras,

Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ.

Occaſionem fabulandi, ſi quid video, arripuerunt Græci (de ijs tantummodo me loqui profiteor, quorum opera, bonorum ſcriptorum libris Sardianicæ purpuræ mendum irrepſit) ab Urbe Syrophœnicum maritima conſimilis nomenclaturæ, quæ vocabatur *Lydda*, purpuræ infectura olim clariſſima. Beavit nos profectò Anonymus Geographus accurante Cl. Iacobo Gronovio denuo recuſus in Periplo pag. 257. & ſeq. Nam in deſcriptione Urbium Syrophœnices, inquit: *Quoniam ergo ex parte prædictas civitates deſcribſimus, & diximus in linteamina ſunt Æ Scitopolis Ladicia, Biblus Tipus, Beritus, quæ linteamen omni orbi terrarum emittunt, & ſunt habundantia. Similiter autem & Saraſa, & Cæſarea, & Neapolis, quomodo & LYDDA PURPURAM altinam*. Quibus verbis, quantumvis barbarè, & ineptè prolatis, edocemur Lyddam ad mare Phœnices, vel Syriæ ſitam, quæ etiam inter Palæſtinæ urbes enume-

ratur, tinctura purpuræ claruiſſe. En quomodo Græci nobis venditarunt purpuram Sardianorum: in proprijs enim laudibus effuſiſſimi, ex purpura Lyddæ, & tinctura Sardiniaca, purpuram Lydiæ, & tincturam Sardianicam feſtivè comminiſcuntur. Unde obiter Achillem Tatium caveas lib. 1. pag. 8. ubi purpura Lydiæ pro purpura Lyddæ vitiosè legitur. Plinius Græcos exſcribere aſſuetus, & ſi qui alij ſunt è Latinis illorum ſimiæ, eundem errorem ſorbuerunt, & ad poſteros tranſmiſere. Niſi fortè Plinium excuſabilem ideo haberi putas, quòd citato iam lib. 7. cap. 56. Lydos Sardibus habitantes non purpuræ quidem, ſed inficiendi lanas Auctores ſolùm fecerit; quod inferioris notæ coloribus exequi potuerunt: idque propius à vero abeſſe arbitror. Qua animadverſione retenta, certiùs evaneſcunt, quæ de Sardianis, Lydorumque purpuris ſcripta ſunt. De Urbe verò Lydda, quæ & Dioſpolis Theodoreto Hiſt. lib. 1. cap. 5. & Hieronymo in Epitaphio Paulæ, alijſque multis appellata, non eſt cur te remorari velim; ſat erit reminiſci eam notiſſimam eſſe Plinio, Ptolemæo, Joſepho de Bello Judaico, in Sacris etiam Litteris memoratam lib. 1. Maccab. cap. 11. 14. & Act. 9. 18. his verbis: *Cum autem prope eſſet Lyddæ ad Joppen*. Unde quoque de ſitu Lyddæ mariti-

mo

mo inſtruimur, ſicuti de Portu Joppe traditur Paralipom. 2. c. 2. v 16. & Jonæ c. 1. v. 3. Ipſius Lyddæ, ſub Dioſpolis nomine, præter Stephanum Byzantium, meminit Antoninus in Itinerario, qui eam inter Cæſaream, & Aſcalonem deſignat. Prædictas autem Urbes ad littoralia Phœnicum ſpectare, fidem faciunt Joſeph. Antiq. Judaic. lib. 14. cap. 8. & Scylax Caryandenſis in Periplo, quibus conſentiunt accuratiores Tabulæ Geographicæ. Atque inde utique innoteſcit, mirè opportunam fuiſſe Incolis Lyddæ conchylij capturam, minimè aptam Lydis à mari recedentibus. Addo, eò facilius impoſitum de Lydorum purpura, quòd in Lydia celebris fuit alia Civitas Dioſpolis, de qua Stephanus de Urb. eamque cum Lydda, ſeu Dioſpoli Palæſtinæ confundere, bellè occurrebat.

His præcipuè argumentis permoveor, ut lectionem *Sardiniacæ tincturæ* alteri præferam, non quidem livore aliquo; vel inſectandi animo, quorum cauſæ procul abſunt, ſed veritatis duntaxat inquirendæ ſtudio. Supereſt nunc mihi, ut manum ſalutarem ijs Auctoribus porrigam, qui alieno potiùs, quàm proprio vitiò laborant. Crucior tamen quòd tibi non nihil adhuc moleſtiæ perferendæ reſtet: ſed boni conſulas rogo, ſi te prolixiùs in hac quæſtione

aliquan-

aliquantiſper exerceo. Occurrit itaque primus Ariſtophanes, apud quem, ut initio ſcripſi, utraque lectio tum Sardianica, tum Sardiniaca extat. Primam habes in eiuſdem Irene pag. 710. quam ex allegatis exſufflandam cenſeo; alteram verò retinendam omnino, de qua in Acharnenſ. act. 1. ſc. 3. pag. 376.

Ἵνα μή σὲ βάπτω Βάμμα Σαρδινιακὸν

Ne fors te tingam tinctura Sardiniaca.

Ad hunc locum antiquus Scholiaſtes inquit: Βάμμα Σαρδινιακὸν. Ἀντὶ τοῦ ἐρυθρὸν Φοινικοῦν. *Tinctura Sardiniaca. Pro rubra, & purpurea.* Et paulò infra de Sardinia loquens, ſubdit: ἐν ταύτῃ δὲ γίνονται πορφύραι διάφοροι καὶ ὀξύταται. *In qua ſanè excellentes, & acutiſſimæ purpuræ naſcuntur.* Quinimò Ariſtophanis codex Eraſmo, loco ſupra citato, inſpectus, tam in Acharnenſibus, quàm in Irene habet Βάμμα Σαρδινιακὸν *Tincturam Sardiniacam*: quod potiſſimas, niſi fallor, contrariæ opinionis vires enervat.

Vide pariter, ac ſtatue quàm proclivis, & neceſſaria ſit emendatio Platonis Poetæ apud Athenæum lib. 2. editionis Lugd. pag. 48. cap. 9. ubi purpurea Sardiana ſtragula mendosè pro Sardinianis leguntur.

Κατ' ἐν κλίναις ἐλεφαντόποσι καὶ στρώμασι πορφυροβάπτοις,
Καὶ Φοινικίσι Σαρδιανικαῖσι κοσμησάμενοι κατάκειται.

In cuius loci verſione humanum quid patitur eruditus Interpres, ita ſcribens: *In*

In lectis deinde eburneis fultis pedibus, ſtragulis
Tinctis purpura, oſtro Sardiano dormituri cubant.

Stragula hic planè oſtro *Sardiniano* tincta vertere debuit, non *Sardiano*; mirè nanque Platoni cohæret, facemque adhibet Varronis teſtimonium ſuperiùs productum, ubi *Sardiniana tapeta* effulgent: nec aliter ſuadent, ut opinor, fundamenta hactenus conſtructa, quæ Dalechampium fugiſſe videntur. Niſi potiùs huiuſmodi lapſus crimini librariorum datur, quod iam laudatiſſimum Caſaubonum in Obſervat. ad Athenæum lib. 2. cap. 9. animadvertiſſe comperio, qui rectè illum his verbis excuſat: *Dalechampius, in ſtragulis tinctis oſtro Sardiano, puto factam iniuriam viro docto, & ſcripſiſſe illum Sardiniano.*

Emaculandus eſt itidem Heſychius, apud quem neutiquam diſſimulanda vulgata lectio Βάμμα Σαρδανιακὸν, pro qua ſcribendum Βάμμα Σαρδινιακὸν, reclamante licèt Salmaſio in poſtrema illius editione, & nequicquam eidem plaudente diſertiſſimo viro à me iam citato, nunquam tamen ſatis laudato Ezechiele Spanhemio, qui pro Σαρδινιακὸν, haud iure, το Σαρδιανικὸν reponendum cenſuere. Neque etiam intactam præterire licet vocem Σάρδεσι, quæ in eodem Auctore, pro Σαρδοῖ vitiosè legitur. Purpurea ſiquidem tinctura, quam hoc adagium continet, uti exponit

nit Heſychius per τὸ Φοινικοῦν ad Lydiæ Sardos pertinere nequit, ijs enim, ut dicebam, minimè opportuna erat conchylij captura; ac proinde Heſychij locum ſic reſtituendum arbitror: Βάμμα Σαρδινιακὸν τὸ Φοινικοῦν. διάφορα γὰρ τὰ ἐν Σαρδοῖ βάμματα. *Tinctura Sardiniaca pro purpurea, præſtantes quippe ſunt in Sardinia tincturæ.* Nullus dubito quin Eraſmus in codices ſimilis notæ inciderit, qui fortaſſe cum blattis, ac tineis colluctantur; ipſe enim nequaquam Græcè imperitus, ac nullam prorſus dubitationis umbram obtendens, Heſychio advocato, *Sardiniacam tincturam* obvijs ulnis amplectitur. Quam ob cauſam minus anxius ero de perquirendis emendatioribus libris: quam provinciam, ſi res tanti eſſet, tibi delegerem, qui inſtructiſſimarum bibliothecarum codices diurna, nocturnaque manu verſare ſoles, & ea qua vales comitate, ac eximia eruditione litteratos ubique gentium, & conſpicuos laude Bibliothecarios tibi devinctos, magnaque neceſſitudine coniunctos habes.

Hæc ad te, Clariſs. Antoni, uti veritatis vindicem ſcripta, cum ocia dederint, ſi quæ tibi ſunt, percurre; & cui ſententiæ lubentiùs accedas, notitiæ meæ protinus pande. Uberrima mihi qualiſcunque ſuſcepti laboris merces erit, ſi probaveris: ſin minus, abs te libenter edoceri patiar, ubi me offendiſſe comperies, non

enim

enim Magnorum Virorum cenſuram erubeſco. Cæterum quidquid tibi ſuccurrat, quo lucubrationes meæ pro Sardinia, cum Profana, tum Sacra illuſtranda, ac vindicanda locupletari poſſint, mihi ſuggeras oro, atque obſecro, ut meditatum opus fructuoſiùs matureſcat: dummodo mihi vires, diutina, gravique ægrotatione iam fractæ, Deo miſerante, ſuppetant. Laus tua præclara eſt litterarios conatus promovere, ex quo ſummam à ſapientibus iniſti gratiam; nec inutilem fortaſſe Etruſcæ Hiſtoriæ navabis operam, cum nedum Strabonis teſtimonio ſuperiùs indicati, verumetiam multis alijs argumentis probè noris, inter priſca Tyrrhena, & Sardoa quanta ſit affinitas. Tu velim cures interim ut valeas, & humaniſſimum virum amœniorum litterarum cultu exornatum Sebaſtianum Blancum præcellentiſſimæ, ac Regiæ gazæ Optimi Principis COSMI III. Cimeliarcham, meo nomine, cum primum ſalvere iube; atque etiam fac memineris, in lucris mihi illud ponendum eſſe, quod inopis ingenij obſequium benignitate recipias, & mutuo benevolentiæ officio rependas.

Lucæ Pridie Kalen. Julij MDCCVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google